





1842. 18  
CAPITA  
IVRIS CONTROVERSA

1794 8  
QVAE

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIS  
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO-  
FESSORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSI-  
STORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAЕ PROVINCIALIS  
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE VII. NOVBR. A. R. S. CICCLXXXIX.

H. L. Q. S.

DISCEPTATIONI PVBLICAE

S V B I I C I E T

AVCTOR

IO. FRIDERICVS ESCHER

CADITIO - MISENENSIS.

VITEBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISTI.

George, C. L. 1856



## I.

**M**ribus Romanis olim seminae ob sexus infirmitatem et iuris civilis ignorantiam, sub perpetua fuisse tutela, copiosius ostendit Euerhard Otto in *dissert. de perpetua seminar. tutel. Cap. I. §. 2. seqq.* Maritus tamen uxoris curam gerere non poterat. *L. 4. C. de excusat. tutor. L. 2. C. qui dare tutor. vel curat. possunt. L. 14. D. de curat. furios.* Quin ne sponsus quidem sponsae curator fieri poterat. *L. 1. §. 5. D. de excusat.* Tutores vero mulieribus dati non earum bona administrarunt, sed tantum auctoritatem in certis negotiis interposuerunt. Ita enim tradit Ulrianus *Fragment. Tit. II. §. 27:* *tutoris auctoritas necesse est mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si ciuale negotium gerant, si libertae suae permittant in contubernio alieni serui*



*morari, si rem mancipi alienent.* Quam quidem ob rem eosdem vehementer laudandos esse, crediderim. Secus tamen se res habet in Saxonia, vbi more antiquitus recepto maritus vxoris curator est legitimus. *I. P. S. Libr. 1. art. 31. et 45. et Libr. 3. art. 45.* Sed quaestio oritur, num vxor praeter maritum, absque huius consensu, alium sibi curatorem sexus adiungere queat? De hac inter nobilissimos iuris nostri interpretes haud conuenit. Uxorem quidem, consensu mariti haud impetrato, alium sibi curatorem petere non posse, statuunt Winklerus ad Berger. *Oeconom. iur. Libr. 1. Tit. 4. th. 6. n. 4. et Hommelius Rhaps. Obs. 266.* Sed nihil impedit, quominus Bergerum in *Elect. Disc. forens. Tit. 8. obs. 5.* et Barthium in *Hodeg. forens. p. 93.* sequuntur. Hanc enim sententiam cum analogia iuris Saxonici, tum ipsa aequitas suadere videtur. Aequitas naturalis, ut in omni re, ita maxime in iure spectanda est. *L. 90. de R. I.* Hinc sumnum ius iniquitatem duram contineret, si, quod saepius accidere solet, ideo, quod maritus ob inimicitiam disfentiat, vel ob morbum, furorem, absentiam aliasque causas consentire non possit, vxori curatoris consequendi facultatem denegare velles. Tunc enim vxor cogeretur viuice pendere ab arbitrio mariti inque varia incideret pericula. Quin, licet nihil peccaret omniisque culpa vacaret, damna saepenumero sentiret grauia, fortassis nullo modo reparanda. Cum aequitate quoque amice conspirat iuris nostri analogia. Sapienter enim, ut hoc unico utar exemplo, legibus nostris hoc

hoc est praeceptum, ut, si eiusmodi actus, qui in fauorem  
utilitatemque mariti vergit, expediendus sit, solius mariti  
consensus non sufficiat, sed, deficiente curatore generali, spe-  
cialis vxori constituendus sit. *Dec. El. 24.* Carpzov. ad *Con-*  
*stit. El. 15. P. II. def. 22.* Schott. *Institut. iuri. Saxon.* p.  
154. Hanc quoque sententiam hodie in iudicando sequi Iu-  
reconsultos Vitebergenses, Illustr. Praeses mihi confirmauit.

## II.

Aequitati quam maxime consentaneum est, ut eum,  
a quo quid petitur, contra intentionem petentis audjamus.  
Fit hoc in litis contestatione, cui exceptiones a reo partim  
praemittendae sunt, partim vero subiungendae. Communi-  
ter statuitur, reum excipiendo fieri actorem. Ita enim Ul-  
pianus in *I. x. D. de except: agere etiam is videtur, qui*  
*exceptione utilitur; nam reus in exceptione actor est.* Quae  
regula, vti est in foro satis trita, ita tamen interdum prava  
interpretatione corrumptitur. Scilicet actor, quae ab adver-  
sario ipsi praestanda sunt, proponit, reus vero eiusdem inten-  
tionem excipiendo elidere studet. Vti illi agendi, ita huic  
excipiendi facultas competit, nec unum altero continetur.  
Nihilo tamen secius haec ipsa regula, modo recte intelliga-  
tur, commode defendi potest. Iam obseruauit Ill. Wiesan-  
dius <sup>2)</sup>, ab initio processus actoris, in fine rei partes esse fa-

a) in *Progr. de reprobatione per iuriurandum cause instituenda*, p. 9, quod  
Progr. adiectum est diff. de *reprobatione per iuriurandi delationem*  
*cause instituenda*, a Toepfero habitac, Vt. 1790.



uorabiliores, in progressu vero litis vtrumque litigatorem pari  
frui fauore. Qui excipit, ideo actoris partes suscipere vide-  
tur, quia, vti auctor intentionis suae veritatem docere debet,  
ita pariter reo imponitur necessitas probandi exceptiones per-  
emtorias, quibus actionem elidere studeat. Licet vero in eo  
actori reus videatur esse similis, multae tamen inter vtrum-  
que intercedunt differentiae, de quibus conferendus est Voë-  
tius in *Comment. ad Digest. Libr. 44. Tit. 1. §. 3.* Vsus  
regulae laudatae maxime cernitur in reconuentione. Cum  
enim in processu executio secundum *O. P. S. R. in append.*  
*§. 8.* exceptiones, non, nisi in continent i sint liquidae, atten-  
dantur, reum, qui eiusmodi exceptionibus vtitur, excipien-  
do fieri actorem, reconuentonis natura satis docet.

## III.

Apud Romanos quodlibet delictum publicum seque-  
batur infamia. *L. 7. D. de publ. iudic.* Germani quamvis  
in irroganda infamia Romanis sint difficiliores, quibusdam  
tamen criminibus infamiae poenam expresse constituerunt.<sup>b)</sup>  
Quae poena cum profecto sit valde grauis, vt ideo, teste  
Carpzouio in *Decis. illuyſr. Saxon. dec. 17. n. 8.* pro capi-  
tali periculo reputetur, eandem inquire latius haud erit in-  
utile. Haud conuenit inter Philosophos, vtrum ius, quo,  
ne quis existimationem nostram laedat, postulamus, ad iura  
homini-

<sup>b)</sup> Tacitus de morib. German. c. 6. et 12. Ius prov. Saxon. Libr. 1. art. 11.  
Adde Heineccii Element. iur. German. Libr. 1. Tit. 17. §. 394. seqq.

hominum connata, *Urrechte de Menschheit*, referendum sit,  
 nec ne? Nonnulli hoc adfirmant <sup>c)</sup> alii e contrario negant <sup>d)</sup>.  
 Licet vero in praesenti me hujc liti immiscere nolim; negari  
 tamen nequit, societatem ciuilem, vti ciuium iura circa fa-  
 mam tueri debet acriter, ita quoque malitiosos huius iuris  
 turbatores bonae existimationis priuatione interdum posse  
 coercere. Oritur haec quidem potestas ex summo societatis  
 fine, quem, iussis destituta adiumentis, obtinere haud potest.  
 Bonae igitur existimationis priuatio poenarum speciem consti-  
 tuit. Sunt, qui statuant, infamiae poenam plus obesse, quam  
 prodesse, atque adeo eandem, quia fini poenarum non con-  
 gruat, ex iure criminali esse eliminandam. Ita vero vulgo  
 philosophari solent: qui infamia notatus est, ab honestorum  
 conuersatione excluditur; qui ita exclusus est, necessaria vi-  
 ta subfida sibi acquirendi facultate priuatur, omnem hone-  
 statis sensum exuit, odio erga ciues inflammatur, inutile fit  
 reipublicae membrum, et denique haud raro nouam inde su-  
 mit delinquendi materiam. Inde vero colligunt, infamiae  
 poenam quia perfectionem generis humani valde impedit,  
 penitus esse proscribendam. Sed hac rationes me non mo-  
 uent, vt in eorum partes discedam. Mihi quidem ea pror-  
 fusa tollenda non videtur, propterea quod plerique homines,  
 etiam infimae fortis, aliquo tamen honestatis ac pudoris sensu

fe

c) Hufeland *Lehrsätze des Naturrechts* §. 132. u. §. 133.

d) Schmalz in d. reinen *Naturrecht* §. 43, in d. not.



87

se duci adque compelli patiuntur, ut ideo imminens bonaे famae periculum sit optimum prauas libidines coercendi remedium. Iustis tamen fiibus circumscribenda erit infamiae poena. Cum enim plerumque ea notatis in ciuitate vitae sustentandae subsidia eripiantur, damnaque iisdem inferantur vix reparanda <sup>e)</sup>, ne maiori, quam finis poenarum postulat, reus afficiatur malo, sedulo cauendum. Hinc non vituperanda videtur opinio eorum, qui statuunt, hoc poenae genus tunc potissimum, si reo ultimum supplicium irrogetur, esse exercendum. De usu huius poenae varia paeclare exposuit Illustr. Gmelinus <sup>f)</sup>, quem quidem legisse poenitebit neminem.

e) Cfr. Ill. Kluegeli<sup>ii</sup> diss. de his, qui norantur infamia.

f) in Grundzügen über Verbrechen und Strafen §. 29.



**ULB Halle**  
001 558 609

3



TH-DOC





# CAPITA IVRIS CONTROVERSA

QVAE

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILII  
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PRO.  
FESSORE PUBLICO FACULTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSI-  
STORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAEC PROVINCIALIS  
ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE VII. NOVBR. A. R. S. CICCLXXXIX.

H. L. Q. S.

DISCEPTATIONI PUBLICAE

S V B I I C I E T

AVCTOR  
IO. FRIDERICVS ESCHER  
CADITIO - MISENENSIS.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIA.

